

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9418

Auteur(s) : Guy de Saint-Loup [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1151-1200]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guy de Saint-Loup confirme le don de Vaucourbe fait par Raoul de Chantrigné.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Bibl. mun., collection Leber, 3122, n° 15.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° XCII)

Date : Seconde moitié du XIIe siècle

Texte d'après A

Fidelibus universis presentibus et futuris, Guido de Sancto Lupo, salutem. Sciatis quod Radulfus de Chantrigne dedit abbatie et monachis Savigneii, in perpetuam elemosinam liberam penitus et quietam, totam medietarium suam de Vallecumba, cum omnibus pertinentiis suis, uxore sue Lejarde et filia sua Maria et fratre suo Guillelmo et sorore sua Aeliz, concedentibus, quam medietariam predictus Radulfus de me tenebat. Ego autem concessi abbati et monachis Savigneii ut illam medietariam, cum omnibus pertinentiis suis et etiam cum prato et haia mea, a rivulo qui currit supra domum medietarie et descendit in Vianam usque ad calciatam stanni in perpetuum habeant bene et in pace et integre et libere et honorifice et sine omni calumnia. Nam servicium meum, quod michi predictus Radulfus faciebat, super aliam terram suam totum accipiam, sicut idem Radulfus concessit coram me, et se fideliter semper observaturum super sancta juravit et quod prefatam medietariam, cum omni integritate sua et cum omni libertate, garantizabit semper abbatie Savigneii. Et ego concessi, et Maria uxor mea, et Gervasius filius meus primogenitus et omnes alii liberi mei concesserunt quod illa medietaria, cum pratis et cum haia tota, usque ad calciatum, quieta semper sit monachis Savigneii et penitus libera, et medietarius eorum quietus semper et libere et nemini respondens in aliquo nisi ipsis monachis. Ego enim nichil juris in ea michi, vel heredibus meis retinui nec Radulfus vel heredes ejus, vel Guillelmus Moritii, cognatus ejus, aliquid juris in ea poterunt ulterius clamare monachis tamen concesserunt quod medietarius eorum molet ad molendinum meum quousque ipsi habeant in patria molendinum et si inde forisfecerit, monachi habebunt emendacionem suam et ego pro moltam per justiciam monachorum. Nichil enim amplius requiram nisi moltam de blado quod molet in molendino meo et moltam de forifacito, si aliquando inde forifecerit et illam, sicut dictum per distributionem monachorum. Sciendum autem quod Radulfus habuit de caritate abbatie XIX libras et X solidos cenomannensium, et ego et uxor mea et filii mei LIII solidos cenomannensium et Guillelmus Moricii, pro quietancia totius calumnie sue, II solidos cenomannensium.

Ut igitur tam donatio ista Radulfi quam concessio mea et heredum meorum et aliorum supra nominatorum rata et inconcussa permaneat in perpetuum presenti scripto annotari feci et sigilli mei munimine, roborari. Testibus his : Jacobo, Guillelmo, Hugone monachis Savignei et fratre Orrico Gruel, Guillelmo de Cordoam, Malenfant de Meduana, Guillelmo Guisochart, Guillelmo de Bocchevrel, Galone capellano, Rainaldo Burnol, Roberto Burnol et multis aliis.